



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA CARACENSIS (TEQUINENSIS) *

TERRITORIO QUODAM AB ARCHIDIOECESI CARACENSI SEPARATO, NOVA DIOECESIS CONDITUR

«TEQUINENSIS» APPELLANDA. Amor ille castissimus, quem Christus, adorandus Dei Filius, beatissimum Petrum poposcit antequam gregem electorum ei pascendum traderet (cf. *Io.* 21, 15-17), cuiusque flamma et Nos in Nobis perpetuo flagrare sentimus, idem amor ita agit atque impellit ut non modo curemus ne ullus ex iis, qui christiano censentur nomine, hostium fraude fidei suae detrimentum faciat, verum etiam ut ea omnia subsidia comparemus quae et naturam et condicionem habeant sanctissimae religionis nostrae latius propagandae, inque christiano populo impensius alendae. Quam ob rem, cum venerabilis Frater Aloisius Dadaglio, Archiepiscopus titulo Leriensis et in Venetiola Republica Apostolicus Nuntius, collatis consiliis cum Iosepho Rumberto S. R. E. Cardinali Quintero, Archiepiscopo Caracensi, id proposuerit ut partito territorio Sedis Caracensis nova ex eo excitaretur, Nos haec omnia probantes sequentia decernimus. Detracto ab ea Ecclesia territorio civilis regionis seu «Estado» quem vulgo «Miranda» cognominant, excepto tamen civili districtu, ut dicunt, qui populari lingua «Sucre» nuncupatur, in finibus eiusdem regionis sito, atque archidioecesi Caracensi, cui adhuc pertinuit, assignando, novam ex eo dioecesim condimus, quam censem *Tequinensem* appellari; quae itaque finitima erit; ad septemtriones, archidioecesi Caracensi; ad orientem, dioecesi Barcinonensi in Venezuela; ad meridiem et occasum solis, dioecesibus Maracayensi et Calabocensi. Ecclesiae huius sedem episcopalem in urbe vulgo Los Teques nomine poni iubemus; cathedram sui magisterii Episcopus in templo S. Philippi Nerii figet, quod templi cathedralis dignitate honestamus. Tequinensem dioecesim suffraganeam constituimus archidioecesis Caracensis, cuius sacro Praesuli Episcopus Tequinensis obnoxius erit. Qui profecto curet ut in sua cathedrali sede Canonorum collegium condatur, iuxta normas per alias Litteras dandas. Quod quousque fiat, Canonorum loco Consultores dioecesanos deligat, qui sibi assint consilio atque opera. Mensam episcopalem efficient: fidelium collationes, Curiae proventus, congrua pars bonorum, si qua sunt, quae novae Sedi obvenient, secundum canonem 1500 Codicis Iuris Canonici. Proprium erit etiam sacri Episcopi Seminarium saltem minus struere, ad leges S. Congregationis de Seminariis et Studiorum Universitatibus; idque quam primum fieri possit; ceterum cum iuvenes adoleverint, qui optimi fuerint Romam mittet, ut theologicis atque philosophicis doctrinis recte imbuantur, in Collegium Pianum Latinum Americanum. Simul ac Tequinensis dioecesis condita fuerit per harum

Litterarum effectiorem, eo ipso Sacerdotes ei Ecclesiae addicantur, in cuius territorio beneficium vel officium legitime habeant. Ceteri Sacerdotes, clerici atque Seminarii tirones, ei in qua domicilium habeant. Acta denique et documenta, quae quoquo modo ad hanc dioecesim pertineant, ad eius Curiam cito mittantur, ibique custodiantur. Ut autem has Litteras Nostras ad exitum adducat venerabilem Fratrem Aloisium Dadaglio legamus, vel quem ille in vicem delegaverit, factis omnibus potestatibus.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio et vicesimo mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo quinto, Pontificatus Nostri tertio.

IACOBUS A. Card. COPELLO S. R. E. Cancellarius	CAROLUS Card. CONFALONIERI S. Congr. Consistorialis a Secretis
---	---

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regens Ioannes Calleri, *Proton. Apost.*

Hamletus Tondini, *Proton. Apost. a.*

i.

*A.A.S., vol. LVIII (1966), n. 6, pp. 419-421 © Copyright 1965 - Libreria Editrice Vaticana